

Glossa et doctoribus in hanc regulam, tamen ut bene observat Barbosa, loc. cit. omnes communiter et principaliter reducuntur ad duas species, videlicet ad impossibile de facto, seu naturæ: et ad impossibile de jure: seu ad impossibilitatem facti et juris arg. c. fin. de Pactis, ibi: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit. » Concordat c. Sciscitatus, 13, de Rescript. ibi: « Sentimus, quod tam de jure, quam de facto illa impotentia censeatur; » ubi etiam utriusque impotentia seu impossibilitas explicatur. Uti enim philosophi et theologi dividunt impotentiam in physicam et moralem: sic legistæ statuunt impossibilitatem juris et facti.

4. Quid sit impossibilitas facti? — Impossibile, seu impossibilitas facti (quæ etiam impossibilitas naturalis seu naturæ dicitur) est, et dicitur, quando consideratis circumstantiis loci, temporis, viribus, facultatibus personæ, naturaliter loquendo, absolute fieri nequit; uti respectu cujusvis hominis est digito tangere cælum, solem aut lunam detrahere, mortuum resuscitare: respectu infantis gravissimum pondus portare: respectu cæci litteras legere. § Si impossibilis, 11. Instit., De inutil. stipulat.

5. Et quid juris? — Impossibile De jure dicitur, quod a jure, seu lege naturali, divina aut humana prohibitum, honeste, et secundum bonos mores fieri nequit; hinc l. Filius, qui ff. de condition. Instit., dicitur: « Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum est. » Concordant l. Si stipulor, 35, ff. de Verb. oblig., c. fin. de Pactis, can. Faciat, 15, cau. 22, q. 2, juncta Gloss. ibidem §. Non potest.

6. Ambæ æquiparantur. — Advertendum autem cum Fagn. in c. Nos quidem, de Testam., n. 56, quod « Impossibilitas juris et facti æquiparentur. » Bartol. in l. Continuus, § Inspiciendum, ff. de Verb. oblig., n. 2.

7. Quod pendet a voluntate principis, et concedi non consuevit, impossibile censetur. — Perro juxta eundem Fagn., in c. Cum sit ars; De ætate et qualit., num. 31, etiam ea, « Quæ pendet a voluntate principis, et concedi non consueverunt, reputantur inter impossibilia, » arg. l. Apud Julianum, alias incipit: Africanus, 39, § fin. ff. de Legatis, 1, et ibi Bart., n. 2.

8. Sicut et quod sine dispensatione Popæ fieri nequit. — Item illud impossibile censeretur, quod fieri non potest de jure communi, sed tantum ex dispensatione Papæ. Fagn., in c. De illis, de Despons. impub., n. 42, quod etiam notat Gloss. in l. Continuus, § Relictæ, ff. de Verb. oblig. Innocent., in c. Pastoralis, 5, de Caus. possess. et propriet. His præmissis.

9. Nemo ad aliquid impossibile sive de facto, sive jure ullo modo obligari potest. — Resp. I. Ad quæstionem n. 2, positam: Regula intelligenda est de utroque impossibili, ita ut vi illius ad id, quod de facto, vel de jure impossibile est, nemo obligari possit neque per legem aut constitutionem: can. Erit autem, 2, dist. 4, ibi: « Erit autem lex honesta, justa, possibilis, » nec per præceptum, nec per sententiam, nec per contractum c. fin. Pactis, nec per testamentum l. 3, ff. de Cond. et demonstr. § Impossibilis, juncta l. Si quis inquilinos, 112, § fin., ff. de Legat. Imo nec sui ipsius obligatio ad impossibile nec de facto valet, uti montes Alpium ulro in aerem deferre, arg. Cum hæres, 4, § 1, ff. de Statu lib., nec ad impossibile de jure, l. Inter stipulantem, 83, § Sacram. et l. Si stipulor, 35, § Item, ff. de Verb. oblig.

10. Difficilia hic non reputantur inter impossibilia. — Reducunt aliqui, ut Laym. in c. Sciscitatus, de Rescriptis, n. 1, ad impossibile de facto etiam illud, quod quidem absolute fieri potest, sed non nisi summa cum difficultate. Verum, licet hæc ordinarie excuset a lege humana communiter lata, per dicta in regula IV, tamen, quia absolute impossibile non est, et ad id quis se ipsum obligare, atque ob graves, præsertim publicas causas per legem et præceptum a legitima potestate obligare potest, hæc impossibilitas ad hanc regulam spectare non videtur. Hinc.

11. Resp. II. Verus et proprius sensus regulæ hic est: « Ad impossibile de facto vel de jure nemo obligari potest neque per legem, vel præceptum, neque per sententiam judicis, neque per testamentum, neque per pactum, vel contractum. neque propria voluntate. » Per jura citata: et ratio est, tum quia omnis obligatio tendit ad aliquid dandum, præstandum, § 1, Instit. de action., quæ autem impossibilia sunt, dari et præstari nequeunt; ergo; tum quia, ut bene discurret Strein ad hanc reg., n. 5, omni legi peculiare est, ne primæ regulæ, divinæ videlicet.

PRIVILEGIUM PERSONALE PERSONAM SEQUITUR
ET EXTINGUITUR CUM PERSONA.

1. Regula unde desumpta? — Hæc regula desumpta habetur ex l. In omnibus, 6, ff. de Reg. jur. ibi: « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat, » cui concordat l. Lex privilegia, 196, ff. de Reg. jur., ibi: « Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: et ideo quædam ad hæredes transmittuntur, quæ causæ sunt, quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt. »

2. Privilegium aliud est reale. — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, juxta jam dicta lib. V, tit. XXXIII, de Privilegiis, § 1, n. 12. Privilegium aliud esse reale, aliud personale. Illud est, quod directe et immediate ipsi rei, alicui loco, dignitati, officio, causæ, etc., vel ratione ipsius conceditur, ac propterea tempore, quo durat, eidem adstringitur, l. Imperatores, 7, ff. de Publician.

3. Aliud personale. — Personale est, quod immediate ac directe solia licui personæ, et ratione illius, v. g. propter singularem ipsius experientiam, doctrinam, virtutem, fidelitatem vel merita confertur. Quo nomine non veniunt privilegia, quæ toti alicui communitati, vel certo generi hominum dantur; quia etsi omnes personæ in tali communitate existentes, vel sub tali genere constitutæ tali privilegio gaudeant, indeque communiter « Privilegium personale » vocetur: tamen quia non intuitu unius personæ, sed intuitu totius communitatis est concessum, et omnes tam præsentibus quam futuros sub tali communitate viventes, vel sub genere existentes afficit, ad easque transit, privilegium mere personale, vel proprie tale esse non censetur, sed reale: cujusmodi est privilegium restitutionis in integram minoribus concessum, quo non unus solus, sed omnes minores in perpetuum gaudent, l. Non solum, 6, ff. de in integr. restit. Tale etiam privilegium est S. C. Vellejani concessum mulieribus: item privilegia concessa corpori mystico, veluti civitati, collegio, academiæ, religioni, etc. His prænotatis.

4. Regula habet duas partes. — Resp. I. Regula solummodo intelligenda est de pri-

sit difformis, consequenter ut sit possibilis, et honesta existat, cit. can. Erit autem, 2, dist. 4, ac ne hominibus præsertim impiis occasionem præbeat turbandi et quærandi, si lex vel præceptum ex aliqua ratione impossibile existat.

12. Verus sensus regulæ quis? — Notanda tamen differentia in prædictis, videlicet, quod si conditio impossibilis adjiciatur contractui, is totaliter vitietur, et irritus evadat. § Si impossibilis, 11, Instit. De inutili stipulat., ibi: « Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nil valet stipulatio, » cum concord. a Gloss. ibidem citatis. Si vero in testamento vel matrimonio apponitur, utrumque propter specialem juris favorem valeat, et conditio pro non adjecta habeatur, l. Reprehendenda, 5, C. de Instit. et c. fin. de Condit. apposit., nisi (loquendo de matrimonio) appositæ esset conditio contra substantiam matrimonii: tunc enim etiam ipsum matrimonium invalidum et irritum foret textu claro cit. c. fin. de Condit. apposit., quem per extensum retulimus lib. IV, tit. V, de Condit. apposit., § 2, n. 40.

13. Solvitur objectio contra regulam. — Contra regulam et sensum ipsius communiter objici, et per modum exceptionis poni solet primo casus, quo quis se obligat ad damna et pericula ex casibus fortuitis evenitura, quæ obligatio tenet l. Quæ fortuitis, 6, C. de Pignorat. act., cum tamen impossibile sit evitare casus fortuitos. Sed respondetur, intentionem contrahentium non esse evitare casus fortuitos, sed solummodo se obligare ad sustinenda damna et pericula inde provenientia, quod est possibile. Strein, hic, n. 6; Pech., ibid., n. 12 qui ambo bene addunt, in conventionem de hujusmodi casibus fortuitis tantum comprehendere casus evenire solitos, non vero insolitos ac insuetos, l. Fistulas, 78, § fin., ff. de Contrah. empt.

14. Secundo hæres tenetur solvere legatum pro republica factum ad opus lege prohibitum: l. Si servum, 91, ff. de Verb. obligat., ergo datur obligatio ad impossibile. Sed respondetur, in tali casu legatam non censeretur voluisse legare, quod lege prohibitum, sed permissum est, non recordando, vel ignorando, quod lege statutum habetur; nec mirum, si in miseræ hujus vitæ statu mentis imbecillitas subinde aberret, arg. l. Hac consultissima, 8, C. Qui testamentum facere poss. Strein, hic, n. 6, vel dic, regulam in hoc exceptionem pati.

villegio mere personali, seu proprie tali. Habet autem hæc regula duas partes: una est, quod privilegium personale semper et ubique sequatur personam, in quocunque tandem loco existat, ita ut quovis tempore et loco privilegiatus illo gaudere valeat, nisi ad certum locum vel tempus, aut certam, ob quam concessum est, causam ab ipso concedente sit restrictum. Altera pars est, quod cum persona extinguatur, seu pereat, si talis persona moritur, nec ad ullos transeat hæredes.

5. *Verus sensus regulæ quoad primam partem, quod personam sequatur.* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est: et quidem quoad primam partem. « Privilegium mere personale semper et ubique sequitur personam, cui est concessum, eique adhæret, ita ut illo semper frui queat in quocunque tandem loco existat, nisi ab ipso concedente sit restrictum. » Quoad alteram vero partem: « Privilegium mere personale extincta per mortem persona, cui est concessum, pariter extinguatur, ita ut prorsus ad nullum hæredem, vel quemquam alium transeat. » Exempla prioris partis obvia sunt; sic v. g. scholaris etiamsi loco migret, et extra Academiam existat, privilegio gaudet, quod a iudice laico capi et teneri non valeat. Auth. *Habita. C. Ne filius pro patre.* Strein, hic, n. 2, sic qui habet privilegium legendi libros prohibitos, comedendi carnes diebus jejuniis, Breviarium aut Horas mentaliter persolvendi, aut loco earum Rosarium recitandi, illo, ubicunque est, frui potest; quamvis ob andalum vitandum subinde hic et nunc abinendum sit, quod prorsus per accidens est.

6. *Sensus ejusdem quoad alteram partem, quod extinguatur cum persona.* — Quoad secundam partem, quod cum persona privilegium mere personale extinguatur, et ad nullum hæredem transeat, exemplis plena sunt jura, adeo ut in l. penult. § *Si puella*, §, ff. de *Ritu nupt.* et l. *Privilegio*, 27. C. de *Decurionibus*, et l. *In filiis*, 35, eod. sancitum habeatur, quod privilegium parentibus concessum nec ad filios transferatur. Et quamvis regula, et sensus illius satis sint clari, tamen:

7. *Solvuntur objectiones contra regulam quoad primam partem.* — Queritur II. An non hæc regula etiam patiatur suas exceptiones, et fallentias? Resp. plures a nonnullis adduci, quæ tamen re bene considerata, et si id, quod obijciunt, solvitur, fallentiarum non sunt, et regulæ non adversantur. Hujus-

modi objectiones plures breviter adducit Gloss. in hanc reg. et quidem primo contra primam partem regulæ: Usus pallii archiepiscopo, vel alii episcopo ex privilegio competens, est privilegium personale, arg. c. 2, de *Auctorit. et usu pallii*, et tamen hoc non sequitur personam; cum archiepiscopus extra propriam diœcesin illo uti non valeat, arg. c. 1, de *Auctorit. et usu pallii*. Et ibi Gloss., §. *Quamlibet*. Resp. enim privilegium de usu pallii ex primæva concessione esse restrictum ad propriam diœcesim, et pro certis duntaxat diebus, c. *Ad honorem, de Auctorit. et usu pallii*. Tenor autem privilegii attendendus et servandus est, c. *Porro*, 7, et c. *Receptimus*, 8, de *Privileg.* Gloss. hic, consequenter hæc objectio non obest, cum in sensu ejus expresse mentionatum sit, « nisi privilegium ab ipso concedente sit restrictum. »

8. Objicitur *secundo*: Præsente majore minor non utitur privilegio, arg. c. *Antiqua* 23, de *Privileg.*, ubi patriarchus interdicitur, crucem ante se deferri curare, quando in ea urbe summus pontifex, vel ejus legatus utens insigniis apostolicæ auctoritatis, præsens est, can. *Denique*, dist. 21. Resp. hoc esse speciale ob reverentiam superioris. Adde, hujusmodi privilegium etiam cum restrictione saltem implicita esse datum, videlicet quando superior in loco præsens non est. Gloss. *hic*.

9. Objicitur *tertio*: Privilegium personale extinguatur nonnunquam etiam ante mortem personæ; ut cum quis abutitur privilegio, can. *Privilegium*, 63, cau. 11, q. 3, ibi: « Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. » Idem fit propter delictum, propter contrarium factum, propter necessitatem, etc., ut ait Gloss. in cit. can. *Privilegium*. Ergo privilegium personale non semper sequitur personam, cum in dictis casibus manente persona non maneat privilegium. Resp. Regula non habere implicitam clausulam; nisi ex causa per dispositionem juris amittatur; quod enim non est, sequi non potest. Vel dic, regulam in hoc pati exceptionem.

10. *Et quoad secundam partem.* — Quoad secundam partem regulæ, quod extincta persona extinguatur, et ad nullos transeat hæredes, objicitur l. *Non solum*, 6, ff. de *In integrum restat.* vi cujus privilegium restitutionis in integrum a personis in ætate minore constitutis transit etiam ad hæredes: et l. *Hæredes*, 20, C. ad *S. C. Vellejanum*, dispo-

nens, quod privilegium, seu beneficium exceptionis adversus creditores mulieribus competens, pariter ad hæredes extendatur, consequenter cum persona non extinguatur. Sed respondetur, hæc privilegia non esse mere personalia, sed *communiter* duntaxat personalia, de quibus regula nostra non est intelligenda, prout jam supra n. 4, diximus.

11. *De privilegiis. Remissive.* — Cæterum si quid amplius de materia privilegiorum desideratur, exacte et fuse tractatum invenitur cit. lib. V, tit. XXXIII, de *Privileg. et excess. privilegiat.*

REGULA VIII.

SEMEL MALUS SEMPER PRÆSUMITUR ESSE MALUS.

1. *Regula unde desumpta.* — Hæc regula desumpta est ex can. *Parvuli*, 14, cau. 22, q. 5, c. *Scribam*, 9, de *Præsumpt.* et aliis locis citatis a Glossa hic.

2. *Præsumptio alia est juris tantum.* — Pro intelligentia hujus regulæ supponitur notitia de natura et varietate præsumptionis ex lib. II, tit. XXXIII, § 1, ubi inter alias triplicem potissimum præsumptionem esse diximus, videlicet « Præsumptionem juris tantum: præsumptionem juris et de jure » simul: ac « Præsumptionem hominis. » Prima est, quæ in jure quidem expresse invenitur, pro certa veritate tamen non habetur, sed admittit probationem in contrarium. Gloss. communiter recepta in c. *Is, qui fidem*, 30, de *Spons.* ubi plura hujus exempla adducit.

3. *Alia juris et de jure.* — « Præsumptio juris et de jure » illa est, quæ in jure non tantum expressa habetur, sed ab eodem tam firmiter tenetur, ut pro ipsa veritate habeatur, non indeque probatio in contrarium facile admittatur. Gloss. loc. cit. ubi pariter plura ex jure exempla adducit, patetque ex cit. c. *Is, qui fidem, de Spons.* ubi Pontifex inquit: « Contra hanc præsumptionem non est probatio admittenda. »

4. *Alia hominis.* — « Præsumptio hominis » est, quæ in jure expressa non habetur, sed juxta rerum ac personarum circumstantias, et apparentia indicia prudenter concipitur: estque alia violenta, seu quæ moralem certitudinem inducit: alia non violenta, prout amplius declaratur cit. lib. II, tit. XXIII, de *Præsumpt.* § 1. His suppositis:

5. *Regula intelligenda est de præsumptione hominis, et juris tantum.* — Queritur I. Quo-

modo regula 8 intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. pro intelligentia hujus regulæ quatuor esse advertenda cum Gloss. hic, et quidem; *primo*, regulam non loqui de præsumptione juris, et de jure, quasi vero ille, qui semel scitur malus, semper pro certo habeatur malus, negata omni probatione in contrarium: sed de « præsumptione juris » tantum, vel hominis, admittente probationem innocentiae.

6. *Non in diverso.* — *Secundo*, eam non nisi « in eodem genere delicti » esse intelligendam; ut proin licet quis in uno genere delicti v. g. luxuriæ sciatur reus, tamen propterea vi hujus regulæ in alio, vel omni genere delicti v. g. injustitiæ, simoniæ, etc. reus præsumi non posset arg. c. *Ille vos*, 4, § fin. de *Pignor.* juncta l. *Si cui crimen*, § 1, ff. de *Accusat.*

7. *Sed eodem duntaxat genere delicti.* — Sed tantum in eodem genere delicti, uti tacendo plura alia juris exempla patet ex cit. can. 14, cau. 22, q. 5, ubi perjurus semel repertus reus semper præsumitur perjurus, indeque a præstando juramento, et ferendo testimonio semper rejectus existit, ibi: « et qui semel perjurus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius jurator existat. » Item ex c. *Scribam* 9, de *Præsumpt.* ubi de negligentibus servare leges et admonitiones præsumitur, quod eas etiam in futurum sine neglecturi; ibi: « Scribam eis multiplices leges meas: ex prius datis et neglectis apparet, quod has negligent. »

8. *Si illud consummavit.* — *Tertio* intelligendam esse, quando quis fuit malus in fine actus, et non in principio tantum; id est, quando delictum quidem inchoavit, illud tamen, cum posset, non consummavit; eo quod respuisse, et delictum horruisse ceaseatur, consequenter semper reus præsumi non debeat.

9. *Et se non emendavit.* — *Quarto*, « Nisi de emendatione sufficienter appareat »: probato enim, vel sufficienter constituto, quod reus alicujus delicti de eo se vere poenituerit, illudque emendaverit, malus in eodem delicto præsumi non amplius debet. can. *Ferrum*, 18, dist. 30, ibi: « Non ergo in eo debet despici, quod fuit; quia jam incipit esse, quod non fuit. »

10. *Malus de presenti non præsumitur retro malus.* — Adait quinto Barb. in hanc reg. n. 9, verbum *semper* in hac regula sumi debere

tempore, quo semel malus extitit, non autem respectu temporis antecedentis: ut proin licet tabellio falsarius etiam in futurum præsumatur talis, indeque removeri debeat. I. *Si aliquid. C. de Suscept. cum concord.* non tamen præsumitur retro falsarius quoad instrumenta ante compertam falsitatem contracta. Et ex his.

11. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est: « Semel in aliquo genere delicti inventus malus, in eodem genere semper præsumitur malus præsumptione juris tantum, vel hominis, nisi de vera emendatione sufficienter constet. » Ratio regulæ est; quia ex præteritis præsumitur de statu præsentis et futuro c. *Mandata 6, de Præsumpt.* ibi: « quia ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus, cum concord. » Hinc illi antiqui versiculi:

Rumor de veteri faciet ventura timeri;
Cras poterunt fieri turpia sicut heri.

12. *Emendatio tanquam facti non præsumitur, sed probari debet.* — Nec valet dicere, forsitan se jam plene emendavit, et animum mutavit; quia emendatio est facti, consequenter non præsumitur, sed ex actibus contrariis probari debet. I. *Ei, 2, ff. de Probat.*

13. *Quilibet habendus est bonus, donec probetur malus, non procedit, quando quis jam semel fuit malus.* — Pariter non valet obijcere illud tritum juris: « Quilibet præsumendus est bonus, donec probetur malus. » c. un. *de Scrutin.* et l. *Merito. 51, ff. Pro socio.* Resp. enim tritum illud procedere, quando actus malus non præcessit, et bonam illam præsumptionem non enervavit; hoc enim præcedente præsumptio de simili valet, donec emendatio, quæ tanquam facti non præsumitur, probetur, cit. l. *Ei, 2, ff. de Probat.*

14. *Fallentiæ regulæ, quæ?* — Quæritur II. An? et quæ sint fallentiæ, seu exceptiones contra hanc regulam? Resp. Eam juxta aliquos fallere 1, in genere diversi delicti juxta dicta n. 6, 2, in casu, quo quis in principio duntaxat, sed non in fine actus malus fuit, per dicta n. 8, 3, si de vera emendatione sufficienter cõnset, per dicta n. 9. Verum cum juxta dicta hi casus in regula non comprehendantur, fallere contra eam proprie dici non possunt.

15. *Semel contumax cur denuo citetur?* — Obijciunt alii, et loco fallentiæ ponunt casum

contumaciæ; semel enim contumax non semper præsumitur contumax; cum peremptorie citatus, si non comparet, denuo citetur c. *Ex litteris, 2, de Dolo et contum.* quod necessarium non esset, si illum in contumacia perseveratorum rite præsumeretur. Sed resp. quod secundo citati et non comparentis contumacia gravior sit, et gravioribus pœnis subjaceat, quam primo citati, indeque jura velint, ut per secundam citationem contumacia magis appareat: vel concedo in hoc casu fallentiam regulæ.

16. *A perjuro recipitur juramentum in suum gravamen, sed non in sui commodum, vel aliorum præjudicium.* — Obijcitur ulterius: Juramenta calumniæ, fidelitatis, et obedientiæ etiam a prius perjuris exiguntur et recipiuntur c. *Cum in ecclesiis. 10, de Major.* ergo semel perjurus non præsumitur semper perjurus. Resp. cum. Gloss. in cap. *Cum in ecclesiis. 7 Juramentum.* et Abb. n. 4, hoc procedere de juramentis, quæ cedunt in præjudicium ipsius jurantis, illumque onere et obligatione gravant: non item in juramentis cedentibus in jurantis commodum, et aliorum præjudicium; et in hoc sensu fallentia conceditur.

REGULA IX.

RATUM QUIS HABERE NON POTEST, QUOD IPSIUS NOMINE NON EST GESTUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex c. penult. *de Sentent. excomm.* in 6, et convenit cum l. *Si pupilli. 6, § Sed si ego, 6, ff. de Negot. gest.*

2. *Ratum habere proprie quid sit?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sit? Ante responsionem notandum: Ratum habere aliquid nil aliud esse, quam approbare, comprobare, confirmare, et ut suum agnoscere id, quod per alium nostro nomine gestum vel factum est, non habito a nobis ad hoc faciendum mandato, commissione, aut requisitione; seu quod per alium non procuratorem nostrum nomine nostro factum est. I. *Quod enim. 12, § 1, ff. Ratam rem habere.* qua ratihabitione rem, seu negotium gestum ita nostrum facimus, quasi a nobis ipsis gestum, aut ad id mandatum datum fuisset, uti dicitur in regula statim sequenti ita sonante: « Ratihabitionem retrahere, et mandato comparari non est dubium. » Hoc notato

3. *Regula intelligenda est de propria ratihabitione.* — Resp. I. Regula 9, dicens, quod ratum habere, seu ratificare nemo possit illud, quod suo nomine factum non fuit, intelligenda est de propria juridica ratihabitione, seu ratificatione cum juris effectum, quæ fictione juris translative rem quasi a nobis gestam efficit, nostramque facit, ac proin juris effectus, et obligationem nobis incumbentem inducit: Non vero de simplici ratihabitione, qua quodvis factum alienum non nostro sed alieno quocunque tandem nomine gestum approbare, gratum et ratum habere possumus, v. g. si quis tuum inimicum non tuo, sed alio nomine, vel ex proprio odio occidit, potest quidem factum homicidium simpliciter approbare, gratum et ratum habere (licet sic approbando pecces) tamen fictione juris homicidium quasi a te factum, sicque tuum non redditur, nec pœnas et obligationes ex homicidio consequentes contrahis. Ratio est; quia ad ratihabitionem juridicam proprie talem, seu quod quis factum alienum ratum habeat in sensu regulæ, essentialiter requiritur, ut factum sit nomine ratihabentis, arg. cit. c. penult. *de Excomm.* in 6, et l. *Si pupilli cum concord.* citatis a Tiraquello *de Retract.* lig. § 1. Gloss. 9, n. 24, quo tanquam essentiali requisito deficiente ratihabitione non datur, consequenter sic factum proprie et cum effectu juris ratum haberi non potest, id ipsum, quod dicit Regula.

4. *Probatur exemplo juris.* — Probatur et declaratur responsio ulterius clarissimo multum allegabili exemplo juris c. *Cum quis. 23, de Sentent. excomm.* in 6, ibi: « Cum quis absque tuo mandato manus iniecit in clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris; cum ratihabitione retrahatur, et mandato debeat comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vinculo innodaris; cum quis ratum habere nequeat, quod suo nomine non est gestum. »

5. *Verus sensus regulæ, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ iste est: « Nemo potest factum alienum proprie ratum habere cum effectu juris, ita ut hujus fictione translative censeatur suum factum, indeque effectus juris inducat et obligationes ratihabenti imponat, si tale factum non ratihabentis, sed suo proprio, vel alterius nomine peregit. »

Per rationes et jura jam allegata; cui accedit etiam illa ratio, quod si quis ratum habere valeret id, quod ipsius nomine non est gestum, facile præjudicium emergere posset tertio, cum quo negotium gestum est, cum his forsitan ex justa causa negotium cum tali habere nolisset, ac propterea, si scivisset, negotium nomine illius agi, a negotio, v. g. contractu abstinuisset.

6. *Afferuntur apparentes, sed non veræ fallentiæ contra regulam.* — Quæritur II. An? et quales dentur fallentiæ circa hanc regulam? Resp. Plures afferri a quibusdam, veluti *Primo can. Lugdunensi. 10, cau. 9, q. 2.* ubi habetur, quod ordinati ab alieno episcopo (etsi ordinatio ipsius ordinarii nomine facta non sit) possint ministrare in ordine suscepto, si proprius episcopus ordinationem ratam habet. Ex quo satis apparere videtur, ratihaberi posse etiam illa, quæ nomine nostro gesta non sunt.

7. *Secundo, vigore c. Quod sicut. 28, 7 Quod si, de Elect.* Capitulares absentes a presentibus non vocati, sed contempti, ratificare possunt electionem, licet eorum nomine non fuerit celebrata.

8. *Tertio. c. Cum nos. 3, De his, quæ fiunt a prælati sine consensu capit.* dicitur, quod alienatio valeat, si eam ratam habeat capitulum, etsi minime ipsius nomine, sed eo positive reclamante fuerit facta, ibi: « Nisi eam ratam postmodum habuisset. »

9. *Quarto, vi l. 1, ff. de Recept. et l. 1, C. De his, qui latron. receptores furum puniuntur ex eo, quod sua receptione videantur furta ratificare, licet eorum nomine facta non sint.*

10. Verum præfata et similia quantumvis videantur adversari regulæ, eamque in illis fallere, re tamen bene inspecta eidem sufficienter conciliantur, sicque hanc in illis fallere merito non existimatur. Et quidem ad tres primas apparentes fallentias, resp. cum Gloss. hic: « Talia jura non loqui proprie de ratificatione, sed de novo quodam consensu. » Et merito, quia cum ex dictis ratihabitione proprie sumpta id operetur, ut ratificans per fictionem juris censeatur auctor illius actus, quem suo nomine factum ratificavit, ac proin ex eo obligationem contrahat: hoc autem non evenit in præmissis casibus, utpote in quibus aliquis actum suo nomine non factum, superveniente consensu approbat duntaxat et quandoque confirmat (si nempe is a sola potestate et consensu hujus dependet).